

Quae est negatiua sententia primi praecepti?

Negatiua sententia seu antithesis comprehensa est his verbis: „Non habebis deos alienos coram me.“²⁹ Sunt autem dij alieni non tantum commentitia ethnicorum numina, sed omnia, quibus praeter verum Deum confidunt corda hominum. Itaque habere deos alienos est creaturis tribuere ea, quae solius Dei sunt, vt cum rebus creatis confidimus et in eis praesidia et salutem nostram collocamus, easque Deo anteferimus, id est plus diligimus et timemus, quam Deum ipsum. 5

[12:] Quae sunt peccata pugnantia cum primo praecepto?

Quinque gradus maxime insignium peccatorum constitui possunt, quae horribiliter pugnant cum primo praecepto. Primus gradus est Epicureus furor contemnens Deum et academica dubitatio de Deo. Secundus est idolatria, cum aut fingitur aliquid esse Deus, quod non est Deus, aut cum alligatur Deus ad aliquam rem, cui se non alligauit suo verbo, aut cum tribuitur creaturae honos soli Deo competens aut cum exco- 10
gitantur opiniones de Deo et cultus sine verbo Dei. Ad hunc gradum referatur et superstitio, 15
quae tribuit cuicumque rei aliquam vim sine ordinatione diuina et sine causis naturalibus. Tertius gradus est haeresis, id est pertinax asseueratio alicuius dogmatis pugnantis cum fundamento seu perspicuis praeceptis moralibus aut articulis fidei. Quartus gradus appellatur magia, quae ad diabolos transfert fiduciam Deo debitam et cum ijs ^sex pacto^s societates iungit et opem ab ipsis petit. [13:] Quintus est hypocrisis seu simulatio 20
pietatis sine timore Dei et fide. Ad hunc gradum pertinent securitas, superbia, fiducia et admiratio sui, impatientia et desperatio, quae vitia proprie sunt opposita timori Dei et fiduciae auxiliij diuini.

^{s-s} pactiones et. E.

²⁹ Ex 20,3; Dtn 5,7.